REVEREN. D. BACALAVREI SALVATO-
RIS ROMANI MATAMOROS HISPAN.

COMPVTVS NOVVS

ECCLESIASTICVS SIVE ROMANVS.

IN QVO MVLTA AD DIVERSARVM RERVM
NOTIONEM CONTINENTVR, AVREVS SCI-
licet numerus, Concurrens ſiue Epacta, Litera Do-
minicalis, Dierum feſtorum mobilium inuen-
tio, Lunæ coniunctiones, & eius ple-
nilunia, atquè multa alia.

QVAE OMNIA VNVSQVISQVE PERPETVO
ABSQVE BREVIARIO, CALENDARIOVE SVM-
ma breuitate facillimè per ſiniſtræ manus iuncturas con-
ſequi poterit, noueritq́; quantam ipſe Reueren.
Bacalaureus Saluator Eccleſiaſticis nedum,
ſed & laicis omnibus utilitatem
miro attulerit artificio.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS
Apud Iacobum Picaiam excudebat.
M D LXX.

AD REVERENDISSIMVM ARCHIEPISCOPVM, TARRACONENSEM.

CARMEN.

Vilia magnanimus ſi munera fronte ſerena,
  Suſcepit Xerxes, conſuluitq; boni.
Non timeo vt præſul celeberrime xenia ſpernas,
  Quæ Saluatoris dat tibi parua manus.
Exiguum eſt fateor munus, ſed magna voluntas,
  Quæ tibi diuitijs gratior eſſe ſolet.
Nam pereunt gemmæ, pereunt & fulua metalla
  Sed ſincerus amor tempus in omne manet.
Da veniam quæſo, ſi te diuine Laceſſo,
  Hæc ſcripſi, vt ſcires quàm reuerenter amo.

Ad Candidum Lectorem.

Si cupis exiguo cognoſcere tempore, multa.
  Fac hoc præ manibus ſit tibi ſemper opus.
Quid tibi ſolaris cyclus, quid menſtrua phebe,
  Quid tibi ſignificent ſydera celſa, docet.
Epactam, feſtoſq; dies, menſiſq; calendas,
  Cum nonis idus explicat inde tibi.
Tempora deſignat, numeros & computat aptè,
  Et breuibus verbis maxima ſenſa refert.
Hanc habeas igitur paruum pulchrumq; libellum,
  Exiguo pretio, lector amice vale.

Argumentum in libellum.

Continet Epactam, & Numerum per ſecla libellus,
  Quæ fuerit Domini litera, ſcire canit.
Indicat atq; dies feſtos, qui ſæpe mouentur,
  Solarem Cyclum perpetuóq; refert.
Quatuor & Nonas, vel ſex aſsignat, & octo
  Idus, ſic menſi tertia iure dabit.

REVERENDISS. D.D.

GASPARI SERVANTES DE GAIETA ARCHIEPISCOPO TARRAGONENSI.

Baccalaureus Saluator Romanus de Matamoros.
S. P. D.

VETVS iam inoleuit conſuetudo, Præſul Ampliſsimæ,ut unuſquiſque ſuis honeſtiſſimis laboribus procuraret Patronum , cui Tanquàm mecenati, ſua dedicarentur, & conſecrarentur opera , atq; ſub eius Tutela in publicum prodirent. Cum itaque rem non ingratam ſtudioſis, præſertim ſacerdotibus me facturum exiſtimarem, ſi breui quadam, & facili methodo rationem ad inueniendum Aurei numeri diſcurſum, & quantitatem feſtorum mobilium & concurrentem numerum, quem vocant Epactam, Biſextum, & circumuolutionem Lunæ , literamque dominicalem , & alia multa docerem, quæ ad manus, & in promptu hæc ad omnia habere poſſent. Volui opuſculum hoc, qualecunque ſit, Humanitati tuæ tanquàm ſtudioſorum omnium fautori digniſsimo dedicare, vt ſi quid vtilitatis, ſiue facultatis incumbentibus ſtudioſis attulerim, Tibi vni virorum optimo gratias referant. Non igitur dedigneris hoc munuſculum, ſeruitutis ſignificationem, ea,qua

ſoles

ſoles benignitate, & charitate amplecti: cum grauiſſimos viros deceat, non modò diuiniſſima & munificentiſſima quæque dona, ſed exigua etiam ampliſſimo oblata animo munuſcula, hilari fronte accipere. vale, & diu fœlix viue.

AVTHOR, STVDIOSIS LECTORIBVS.

HOC Vnum tantùm a vobis peto (Patres ornatiſsimi, fratresq; dilectiſsimi in Chriſto optimo maximo) nè exiguũ munuſculũ huius tractatus à vobis deſpiciatur propter diſſonã verborũ elegantiam: Sed tantũ de mea ſana intentione vos integrũ deſideriũ accipietis. Siquidẽ opus iſtud valde omnibus Sacerdotibus, & ſcholaribus neceſſarium videtur, vt aſſerit diuus Auguſtinus, dicens, ꝙ quatuor ſunt præſertim neceſſaria vnicuiq; Sacerdoti, ſiue Clerico, Grammatica videlicet, Muſica, Ius canonicũ, & Cõputus. Grammatica ſcilicet ad verba Dei exponenda, Muſica ad laudes Dei cantandas, Ius Canonicũ, ad iura eccleſiaſtica diſcernẽda, Cõputus deniq; ad inueniendũ feſta mobilia. Et huius Cõputi regulæ, meo ſanè iudicio, dignæ ſunt ſcitu. Siquidẽ ſunt illæ valdè neceſſariæ, & paruo temporis ſpatio ediſcuntur. Sunt enim multi qui aſſerunt, ꝙ non ſunt neceſſariæ regulæ iſtæ huius Cũputi. Siquidẽ maximè apertæ in breuiario, calendarioq; videntur. Sed cũ multi Sacerdotes circa illas cõputi regulas in breuiario ſæpè ſæpius errẽt ad inuenienda feſta mobilia, nõ dico eos errare ꝓpter cõputiſtarũ defectũ, atq; ipſorũ cõponentiũ, ſed ex deffectu impreſsionis, quia aliquãdo depinxit, verbi gratia 14. pro annumeratione 13. aut 8. pro 7. ꝙ nõ accidit ei, ꝗ has breues, & infallibiles regulas tenuerit. Et ſi vis ad regulas ipſas facilitate quadã deuenir, oportet vt memoriæ applicẽtur regulæ iſtæ, quibus decipi nõ poſſumus, ſi bene ꝗdẽ percipiãtur. Præterea hoc opus iſtã cõputi ſciẽtiã maiore facilitate demõſtrat, quam cæteri alij tractatus, quia hic liber ſuã cõputi ſciẽtiã nõ per anihilationẽ eam demonſtrat, vt multi faciunt, verũ per modos notos etiã & apertos, nõ ſolùm illis qui maturã iudicij capacitatẽ tenent, ſed ẽt paruulis prima elemẽta ediſcẽtibus, vt legẽti patebit. Fuit ꝑfunctũ hoc opus Idibus Aprilis, anno 1567. in Romana curia uale.

Hic libellus, qui inſcriptus eſt Cõputus Eccleſiaſticus, multa in ſe cõtinet, videlicet Literã dominicalẽ, & Aureũ numerũ cõcurrentẽ, & ſimiliter aliqua de feſtis mobilibus, ac etiã de Luna, alijſq; rebus. Quæquidem res, sũt valdè vtiles & dignæ ſcitu, & maximè Sacerdotibus, & alijs hominibus ſtudioſis. Siquidẽ res faciles videntur, & paruo tẽporis ſpacio ediſcuntur. Propterea oportet, vt ꝑueniamus ad cõputi definitionẽ. Cõputus igitur eſt ſciẽtia certificandi tempus ſecundùm Solis, & Lunæ progreſſum. Præterea vnde dicitur cõputus? Cõputus quidẽ dicitur à cõputando, nõ quia nos doceat cõputare, ſed cõputãdo docemur. Ad hoc poterit aliquis interrogare, quis fuit Author huius cõputi? fuit Egregius Dionyſius Romanus optimus vir. Quiquidem charitatis zelo compoſuit has infallibiles regu-

las, poſt longa ſtudia, & perfectam in Mathematicis ſcientiam, ad vtilitatem eorum qui non poſſunt per tam longum tempus illis ſtudijs vacare. Cum antè cōpoſitionem iſtius operis per modum arduum & difficilem, omnes cogebantur has regulas intelligere, & conſequi.

Diuiditur opus noſtrum in 17. membra vel partes, & in prima parte huius tractatus agit de hoc verſiculo.

Cœlum, bonum, accipe, gratis, filius, eſto, Dei.

PRIMVM CAPVT.


PRimum igitur agit de hoc verſiculo. Cœlum bonum, accipe, gratis, filius, eſto, Dei. Quiquidē verſiculus ante omnia memoriæ comendari debet, ſiquidem eſt valde neceſſarius ad inueniendū literā Dominicalē vniuſcuiuſq; anni. Dicimus primùm, ꝙ in hoc verſiculo, ſiue his dictionibus, Cœlū, bonū, &c. ingrediuntur oēs literæ Dominicales. Prima igiť litera vniuſcuiuſq; dictionis eſt litera dominicalis, vt in hac particula Cœlū intellige elementū C. in ſecūda particula bonū intellige B. in tertia quæquidē eſt accipe A. ſit litera dominicalis. in quarta quæquidē eſt gratis, accipe G. in quinta q̄ eſt filius intelligimus illā eſſe F. in ſexta quæ eſt eſto, erit E. in ſeptima & vltima huius verſiculi quæ eſt Dei, accipies literā D. vt apparet in his dictionibus ſequentibus, Cœlum C. bonum B. accipe A. gratis G. Filius F. Eſto E. Dei D.   A. B. C. D. E. F. G.   Et hæ ſunt omnes literæ dominicales, quæ quidem reperiuntur in hoc uerſiculo ſupradicto. Et hoc de primo notabili ſit ſatis.

SECVNDVM NOTABILE DE ASSITVATIONE literarū dominicaliū, in ſuis proprijs locis, ſiue iuncturis.

PRætereà notandū eſt in ſecūdo capite de aſſituatione literarū dominicaliū, & quibus iuncturis aſſituantur ſiue reponūtur. Aduertendū eſt igitur, ꝙ habemus in manu ſiniſtra uiginti & octo iuncturas, quibus reponantur literæ dominicales. Prima litera, quæ eſt A. collocatur in prima iunctura infra ungues in parte exteriori manus ſiniſtræ; & B. in ſequentibus iuncturis, ſcilicet poſt A. in tertijs iuncturis manus ſiniſtræ in parte exteriori. C. D. uerò in primis iūcturis in parte interiori manus ſiniſtræ, & E. in iuncturis ſequētibus F. in iūcturis ſucceſſiuis & G. ponitur in iūcturis vltimis, ſcilicet ſupra ungues idest in extremitatibus unguium A. & B. & C. ſunt extra, D. & E. & F. ſūt intus, G. uerò eſt ſupra, ut meliùs demonſtrabitur in manu depicta, in ſuo loco. Poſtea uero dicimus, ꝙ habemus uiginti octo iūcturas in manu ſiniſtra. Poterit igitur aliquis interrogare, ad quid ualeant iūcturæ illæ? dico ꝙ proſunt ad inueniēdū perpetuò numerū annorū; quādo intendimus literā dominicalē reperire. Prætereà ualēt ad inueniendū omnia feſta mobilia. Quæ quidē iuncturæ cōputanť

tranſuer-

tranſuerſaliter,initiũ ſumendo à prima iũctura digiti indicãtis, ꝑ partem interiorẽ, ab indice uſq; ad digitũ auricularẽ, ut apparet in his punctis de quatuor,in quatuor,uel de uno in unũ quomodocũq; uolueris cõputare, ut in his apparet trãſuerſaliter uſq; ad auricularẽ digitũ. Terminantur tamẽ 28. in iunctura ultima digiti auricularis per partẽ exteriorẽ huius manus ſiniſtræ. Et ſi fortè uolueris literam dominicalẽ inuenire anni 1580.redi iterũ ad primã iũcturam, ſcilicet ad iuncturã indicis uſq; ad auricularẽ,replicando iuncturas illas, donec deuenias ad annum, de quo literam dominicalem ſcire uelis. Hoc dictum de ſecundo notabili.



TERTIVM NOTABILE, QVOMODO REPERIETVR litera dominicalis, cũ uerſiculo Cœlum,bonũ,&c.

AD inueniẽdam autẽ literã dominicalẽ in uno quolibet anno oportet,ut imprimis ꝑ iuncturas ſiniſtræ manus cõputemus tot iuncturas,quot annos ſcire uelimus, ſi cupies uerbi gratia literã dominicalẽ inuenire anni quarti,annumera quatuor iuncturas & ſi 10.annos annumera decẽ iuncturas , & ſi centũ ſimiliter debet fieri quouſq; deuenias ad annos,quibus literã dominicalẽ cõperire uelis. Eſt enim aduertendũ ad maiorẽ intelligentiã ꝙ quotieſcunq; cũ his dictionibus.Cœlũ bonum, &c. digitũ auricularem attinges , tũc uero debes duo elemẽta ſiue literas ſignare his dictionibus iam dictis, biſexti tamen ratione quia in illo anno duæ literæ dominicales deſeruire debẽt.Et hoc fieri debet tãtummodò in auriculari digito,ſiue ſit per partẽ interiorẽ,ſiue exteriorẽ eius manus ſiniſtræ,incipiẽdo (ut iã diximus) à digito indicãte à prima iunctura ꝑ partẽ interiorẽ eiuſdẽ manus ſiniſtræ,uerbi gratia, ſi quæris inuenire literã dominicalẽ anni noſtri Redẽptoris,imprimis oportet,ut annumeretur unus annus,in prima iunctura indicis ꝑ partẽ interiorẽ,& poſtea oportet ſupputare cũ illa dictione cœlũ,& in illa igitur iunctura,ubi dicitur cœlũ,deſignat nobis dominicalẽ literã.C.deinde. In ſecũdo anno debemus duas enumerare iuncturas, una ipſarũ in primo digito indicãte debet aſſignari altera uerò in ſecunda iunctura digiti medij, poſteà cũ uerſiculo cõputa cœlũ bonũ.ergo in illo anno litera dominicalis ſignatur.In anno quintodecimo annumera quindecim iuncturas,& poſteà cõputa his dictionibus ſcilicet cœlũ bonũ,&c. donec peruenias ad iuncturã illã ultimã. Et reperietur tandẽ in illo anno.xv.litera dominicalis G. Vlterius in anno 1560. Duas dicimus habere literas,ſcilicet G.& F.biſexti cauſa,& in anno 1550. habuimus dominicalẽ literã E.In anno 1566.fuit F. In anno 1568.erũt literæ dominicales D.& C.In anno 1569. erit litera dominicalis B. Eſt etiã notãdũ ꝙ in anno biſexti prima litera quã nobis uerſiculus cœlũ bonũ demõſtrat,à prĩcipio anni uſq; ad feſtũ S. Mathiæ apoſtoli deſeruit,& alia poſterior famulatĩ à S. M.uſq; ad finẽ anni,à prima ſubducũt duo feſta. ſeptuage-

ptuageſima & feſtū cineris;& oīa reliqua feſta mobilia ab altera poſterio ri,ſubducimus.unaqdē ipſarū literarū dominicaliū ideſt prior appellatur ſpecialis. Poſterior uerò dicitur generalis,ut demōſtrabimus in ſuo loco. Sufficiat tandē de hoc 3.notabili, & ſic deſcendamus ad quartū notabile.

IN QVARTO LOCO DI-cendum eſt de aureo numero.

QVartum igit̃ notabile tractat de aureo numero. Aureus quidē numerus eſt ille,q̃ ab uno incipit, & nō trāſcēdit 19. Sed quādo iam numerādo annorū quātitatē perueneris ad 19. Tunc rurſus redeūdum eſt ad unū,ut antea, & ſic fit regreſſus à 19. ad unitatē per oē tēporis ſpatium, & hoc pacto aureus numerus ſic ſe habet. Sed ſi quando aureus numerus queratur, nōniſi 4. uerbi gratia uel 6. ſiuē 8. aut 15. aut 18. ſiue unū,tot erunt,dico quādo nō ad 19. aſcendunt. Incipiēdo tandē ab 1. uſq; 19. Sed quādo iā quātitas 19. cōpleta fuerit, ulterius nō licet migrare ad uiginti. Sed ad unū iterū regrediēdū eſt. Præbeamus etiā exēplū,ut melius intelligatur, In anno Natiuitatis Noſtri Redemptoris fuit de aureo numero 1.q̃a ab illo anno incipimus annorū numerū cōputare. In anno 2. poſt Natiuitatē fuere de aureo numero 2.& In anno 3. fuere de aureo numero 3. tandē & in anno 19. fuit ipſemet numerus 19. Sed animaduertendū eſt ꝙ ad inueniendū aurei numeri diſcurſum, in uno quolibet anno oportet ut relinquamus tedij cauſa milleſimū,& quingenteſimum, & cōputemus etiā ſupra milleſimū & quingenteſimū: Et hoc nō dicimus,ut ignoremus cōputationē ipſorū annorum, ſed fugiēdæ prolixitatis cauſa. Sed ſi fortè ſcire uolueris aureū numerū ipſorū annorū ſcilicet anni milleſimi quingēteſimi, inuenies ꝓ aureo numero in illo anno 18. Et Author cōputi addidit 1.& ſic fuerūt 19. Sed ꝑueniamus ad noſtrū propoſitū,qđ quidē eſt ſupra milleſimū & quingēteſimum habemus nūc in 67. Si cupies reperire aureum numerum iſtius anni,ſcilicet,primū reſpicere 67. quoties uicenarius numerus ingrediatur,& poſteà reperies 3. ingredi,& inſuꝑ ſeptē remanere ab unoquoq; uicenario demas 19.& ſuꝑſunt tria,quæ q̃dē iuncta cū illis 7.q̃ ab illo annorū numero. 67. ſuꝑſunt, erūt 10.& hic erit aureus numerus anni 67. ſupra 1500. Et ſic faciūt 3. cū 7. 10. Et in ipſomet anno 1567. dicimus ꝙ fuere 10. In anno 1550. extra 1500. ſuperāt 50.& ex illis 50. de aureo numero fuere 12. In anno 1540. extra 1500. fuere 40.& ex illis 40. habuimus 2. In anno 1530. undecim. In anno 1564. fuere 7. In anno 1570. fuere 13. In anno 1580. 4. erūt;dico enim ꝙ reiecto milleſimo & quingēteſimo erūt 4. In anno.1600.5. Ratio eſt, quia in 100. ſunt quinq; numeri uigeni: ex quibus totidem ſubtracto numero 19. remanent 5. de aureo numero. In anno 1600. nullam igitur difficultatem inuenies, ſi paulatim ab unoquoq; 20. ſuſtuleris 19. abſtrahēdo ſemper 19. à 20. Sed melius demonſtrabitur in ſuo loco ſcilicet in circulo rotundo, in quoquidem aureo numero. Sufficiat nunc de aureo numero.

IN

QVINTVM NOTABILE de concurrente ſiue epatta.

QVintum deinde notabile nobis cõcurrentem numerum ſiue epattam uniuſcuiusque anni manifeſtat. Dicimus quidem de concurrente, quòd quemadmodum ſupra de aureo numero diximus, ita in capite de concurrente dicemus, diximus uerò in aureo numero, quòd non tranſcendit numerum 19. ita Epatta ſiue concurrens non excedit 30. atque ut faciliùs intelligamus hunc modum concurrentis, aggrediamur ad regulam generalem notam, & apertam, qua quidem ſingulis annis inuenies faciliter epattam. Primum igitur recordamur epattam nunquàm excedere 30. Prætereà debes ſcire, quòd habemus tres iuncturas exteriores in exteriori parte digiti pollicis quibus inueniemus concurrentis ueritatem. Prima igitur ipſarum iuncturarum ualet 10. Secunda uerò ualet 20. Tertia tandem & ultima ualet 30. Prima quidem quæ ualet 10. eſt in radice pollicis. Secunda, quæ ualet 20. in medio ipſius pollicis. Tertia, quæ ualet 30. collocatur in ungue: & illa computatio tantummodo debet fieri in manu ſiniſtra: quia facilior eſt, & promptior ad computationem faciẽdam. Eſt etiam notandum quòd prius conuenit ſcire aureum numerum ad hoc, ut inueniamus numerum concurrentem, qui quidem numerus dependet ab aureo numero exempli gratia, In anno Natiuitatis noſtri Redemptoris, Vt diximus in capite de aureo numero, fuit de aureo numero 1. nunc oportet ut ipſum aureum numerum, ſcilicet 1. addamus illi numero decem, quem ſtatuimus in prima iunctura pollicis, ſiniſtre manus, dicendo unum & ille numerus 10. ſimul faciunt undecim & ſic in illo anno primo habuimus 1. de aureo numero, & 11. de concurrente. In anno ſecundo noſtri Saluatoris fuere de aureo numero 2. & numerando hos duos numeros, primum quidem in prima iunctura, Secundum in ſecunda iunctura & ſecunda ualet 20. & 2 de aureo numero conſtituunt 22. In anno 3. fuere de aureo numero 3. & cum his 3. computamus per illas tres iuncturas pollicis, numeramus unum duo tria, uſque ad tertiam iuncturam quæ quidem ualet 30. & tria ſimul, quæ portabamus de aureo numero, conſtituunt 33. tunc memineris ut in principio capitis de concurrente diximus, quòd concurrens non excedit 30. Ergo in anno tertio non fuere de concurrente niſi tria. Eſt etiam notãdum, ꝙ omne id, quod reſiduum eſt a triginta erit de concurrente ut in anno tertio reperiebamus 33. expellimus 30. & remanent 3. Et illa regula obſeruatur ſemper. Præterea notetis uos hanc regulã generalem, quòd quotieſcunque fuerint de aureo num. 3. 6. 9. 12. 15. 18. tũc enim aureus numerus eſt ſimilis concur-

renti, & concurrens aureo numero. Si ſunt de aureo numero 3. de concurrente tres: & ſi ſunt de aureo numero 6. concurrens 6. ſi 9. concurrens 9. ſi 12. ſimiliter concurrens 12. Quando 15. ſimiliter 15. & quando 18. concurrens 18. Deinde notare oportet alteram Regulam generalem, quòd concurrens modo infraſcripto ſemper erit, aut 1. aut 12. aut 23. aut 4. vel 15. ſiue 26. Aliquando vero 7. Poſteà tamen 18. aut 29. vel 11. aut 22. aut 3. 14. 25. 6. ſiue 17. 9. ſiue 20. Sed tamen meliùs percipitur in his literis inferiùs poſitis. Quibus aureus numerus correſpondet concurrenti, & concurrens aureo numero. Aureus numerus eſt ſupra, & concurrens eſt infra ipſum aureum numerum.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15	16.	17.	18.	19.
11.	22.	3.	14.	25.	6.	17.	28.	9.	20.	1.	12.	23.	4.	15.	26.	7.	18.	29.

Hoc modo ſingulis annis vnus ad alterum correſpondet, & eſt infallibilis regula, quia nunquam aliter poterit euenire, vt meliùs demonſtrabitur in ſuo loco feſtorum mobilium. Prætereà poterit Aliquis dubitare ad quid pertinet concurrens ſiue epatta: dicimus deſeruire duabus commoditatibus. Primò ſcilicet nos docet asſituare literam dominicalem cum illo numero quem tria Authoris appellamus ſimul, & ad quam ſubducimus omnia feſta mobilia. Deinde verò Lunæ quantitatem ſingulis diebus nobis demonſtrat, Sufficiat hoc de concurrente.

SEXTVM CAPVT MANIFEſtat quomodo asſituabitur litera dominicalis cum concurrente, & tria Authoris ſimul.

SExtum quidem Notabile in ſe continet modum collocandi dominicalem literam in ſuo proprio loco, & iunctura, quam in principio computationis verſiculus cœlum bonum &c. nobis asſignat. Et eſt notandum ad collocationem ſiue asſituationem literæ dominicalis, ꝙ debemus ſemper concurrenti illa tria authoris adhibere, & cum his duobus numeris ſcilicet concurrente, & tribus Authoris debemus incipere à ſecunda iunctura interioris digiti pollicis incluſiuè, quouſq; numerando deueniamus ad digitum indicem per ipſius longitudinem, & ſimiliter debet fieri in alijs digitis; dum perueniamus ad 30. Et quando iam ſit

ſit perfectus numerus ipſius concurrentis ſcilicet 30. debemus literam dominicalem immediatè poſt concurrentem collocare, dico immediatè poſt concurrentem videlicet, quòd ſi litera dominicalis fuerit, verbi gratia, A. & numerus concurrens fuerit finitus in domo literæ B. in quocunque digito, illud A. debet reponi in loco alterius digiti ſequentis, aſſignato ipſi A. Qui locus nec dum fuerit enumeratus, & ſi litera dominicalis eſſet per verſiculum G. & concurrens dederit ſuum finem, ſcilicet 30. in domo literæ F. Tunc etiam litera G. debet reponi in ipſomet digito immediatè, in ſuo proprio loco huius digiti in G. & ſi litera dominicalis eſt D. & concurrens finietur in domo huius D. Tunc D. quòd fuit litera dominicalis collocatur in D. magis propinquo & viciniore ipſi concurrenti. Oportet igitur adnimaduertere, quòd quotieſcunq; iunctura huius manus ſiniſtræ computatur in annumeratione cõcurrentis. Tunc litera dominicalis non collocabitur in iunctura iam computata ſiue annumerata, ſed in propinqua, vt exemplis meliùs demonſtrabitur. Exempli gratia. In anno noſtræ Salutis fuit litera dominicalis C. de aureo num. dicimus, quòd fuit 1: de concurrente 11. & ad illos 11. adhibendus eſt ternarius numerus Authoris. Quæ quidem omnia faciunt 14. & cum his debemus incipere à ſecunda iunctura digiti pollicis incluſiuè per partem interiorem huius digiti pollicis, vſq; deueniamus ad 30. deſijt tunc numerus trigeſimus in litera D. digiti medici, ſiue anularis, & ſic collocatur illud C. in domo C. ipſius digiti medici. In anno 3 fuere de aureo numero 3. & ipſemet numerus ternarius fuit de concurrente. Quia quotieſcumq; ſunt de aureo numero 3. 6. 9. 12. 15. 18. Tunc totidem ſunt de aureo numero, quot de concurrente. Quod aureus numerus, & concurrens ſint equales. Ratio eſt, quia eſt numerus ternarius, ſiue impar. Redeamus ad noſtrum exemplum tertij anni, & de concurrente 3. & tria Authoris, conſtituunt 6. collocemus etiam dominicalem A. ipſius anni tertij, finiebatur 30. de concurrente ipſius anni in E. digiti auricularis, collocabatur verò illud A. in ipſomet digito auriculari, in ſua propria iunctura A. In anno 1550. fuit litera dominicalis E. de aureo num. 12. & ipſemet numerus tenetur de concurrente, tria Authoris ſimul conſtituunt 15. & cum his 15. incipies incluſiuè à ſecunda pollicis iam dicta, computabimus vſq; deueniamus ad 30. finietur tandem 30. in illo anno in C. digiti medij, ſiue infamis, & tunc collocat litera E. ipſius anni in E. digiti medici, ſiue annularis. In anno 1560. habuimus duas literas dominicales ſcilicet G. & F. de aureo numero habuimus 3. & totidẽ fuere ſimiliter de cõcurrẽte ſiue epatta, & illis tribus de cõcurrẽte adhibemus tria authoris. Qui quidem duo numeri conſtituunt 6. definit verò in illo anno concurrens

ad iunctura E. digiti auricularis manus ſiniſtræ reponũtur igitur literæ dominicales ipſius anni 1560. Videlicet G.& F. in ipſomet digito auriculari. Eſt etiam notandum quòd in anno biſſexti habemus duas literas dominicales, quarum prima appellatur ſpecialis, altera uerò generalis, ut iam diximus ſupra. Prima, quæ ſpecialis dicitur, eſt illa, quam uerſiculus. Cœlum bonum &c. nobis priùs asſignat, quando quæritur litera dominicalis, & illa ſeruit à principio anni, uſque ad feſtum Sancti Matthiæ apoſtoli, & alia poſterior ſiue generalis deſeruit à feſto Sancti Matthiæ apoſtoli per totum reſiduum anni & ab illa prima ſpeciali ſubducimus duo feſta mobilia uidelicet feſtum ſeptuageſimæ, & feſtum cineris & alia feſta mobilia pertinent ad poſteriorem literam, quam uocamus generalem. In anno 1564. duæ literæ dominicales fuere ſcilicet B. & A. & de aureo numero 7. de concurrente 17. & 3. Authoris efficiuntur 20. dedit concurrens finem in illo anno in E. digiti medij: collocantur quidem illæ literæ ſcilicet b. & a. in ipſomet digito medio, in proprijs iuncturis ipſarum literarum B. & A. In anno 1573. erit nobis litera dominicalis D. de aureo nu. 16. de concurrente 26. & tria Authoris faciũt 29. in illo anno finietur concurrens in radice pollicis, & collocabitur illud D. in D. digiti Indicis per partem interiorem huius manus ſiniſtræ. & in iſto anno eſt quando feſta mobilia ſunt magis infima: quia unumquodque eorum feſtorum cadit in ſua propria claue, ſiue limitatione, quia in illo ſcilicet 1573. erit dominicalis litera D. & illud D. collocabitur in D. digiti indicis manus ſiniſtræ à quo loco omnes claues initiũ eorum feſtorum mobilium habent. Præterea eſt etiam aduertendum quòd quotieſcunque habebimus de concurrente 28. ſiue 29. & tria Authoris ſimul tranſcendunt 30. tunc reiicienda ſunt 30. & reſiduum id quod fuerit, habebimus de concurrente, & cum illo reſiduo iterum incipies computare, uſque deueniamus ad alterum 30. & illicò debet litera dominicalis, qualiſcunque ſit collocari in ſua propria iunctura, ſiue caſella, ad quam omnia feſta mobilia exigimus. Iam enim diximus; quòd litera dominicalis nunquam collocatur in iunctura computata, uerbi gratia, uolo dicere, quòd ſi litera dominicalis fuerit A. & concurrens finietur in iunctura A. illa quidẽ litera A. non debet collocari in illa iunctura A. ſed in altera A. propinqua & alterius digiti, & immediatè. Quod quidem A. non ſit iam computatam: quia in unoquoque digito. ſunt omnes literæ dominicales: quia in ſe uerſiculus ille cœlum &c. continet: quilibet digitus habet 7. iuncturas, unaquæque ipſarum datur literæ dominicali, & unuſquiſque digitus tenet literam A. B. C. D. E. F. G. ſufficiat hoc de asſituatione literarum dominicalium.

SEPTI-

SEPTIMVM NOTABILE.

SEptimum notabile nos docet modum inueniendi omnia feſta mobilia, uidelicet ſeptuageſimam, cinerem, Paſcha Reſurrectionis. Rogationes, ſiue læthanias; Aſcenſionem Pentecoſtem, Trinitatem, & corporis Domini feſtum & primùm oportet ſcire quandam regulam ſubducendi omnia feſta mobilia. Omnia igitur mobilia feſta habent idem initium, ſiue principium quod quidem eſt à prima digiti indicis ſiniſtræ manus, iuncturam, per partem interiorem, uſque ad finem digiti indicis, & ſimiliter in aliis digitis fieri debet, dico hoc tantummodò per longitudinem digitorum. Deinde unumquodque feſtum ſuam habet clauem, quæ clauis eſt initium computandi, uſque aſcendamus ad literæ dominicalis iuncturam: & quando deuenerimus ad domum ipſius literæ dominicalis, Tunc non licet ulteriùs tranſire. Claues nunc feſtorum mobilium, de quibus ſupra mentionem fecimus, ſunt hæ, quæ ſequuntur. Oportet ut has claues feſtorum mobilium memoriæ commẽdemus. Quod quidem eſt ualde utile, & ad iſtam computationem neceſſarium, ad feſta mobilia inuenienda memoriter, hæ ſunt claues.

Septuageſima habet de claue	18	Ianuarij.
Cinis tenet de claue.	4	Februarij.
Paſcha habet	22	Martij.
Rogationes	27	Aprilis.
Aſcenſio	30	Aprilis.
Pentecoſtes	10	Maij.
Trinitas	17	Maij.
Corpus Chriſti	21	Maij.

Domini Aduentum ſemper inuenies dominica proxima ſiue ſit ante, ſiue poſt feſtum Sancti Andreæ Apoſtoli & ſi feſtum ipſius cadit in die dominica, ab illo incipit Aduentus. Prætereà poterit aliquis petere circa feſtorum mobilium claues, cur non datur ſeptuageſimæ niſi 18. de claue? & non datur plus aut minus? ſcilicet 15. aut 17. aut 14. illius ratio eſt, quia in nullo tempore euenire poterit infra illum diem, uidelicet 18. ad minus, & illam quidem rationem aſſignabimus in reliquis feſtis mobilibus circa ipſorum claues. Præterea deueniamus ad exempla feſtorum mobilium. In anno 1550. habuimus literam dominicalem E. de aureo numero 12. & ipſemet numerus fuit de concurrenti: quia eſt numerus ternarius, ſiue impar, habuimus igitur de concurrente 12. & tria Authoris conficiunt 15. cum his 15. debemus incipere computare à ſecunda iunctura pollicis, uſque deueniamus ad 30 & ſtatim litera dominicalis collocari debet in ſua propria iunctura & caſella ſi eſt A.

collocatur

collocatur in domo A. & ſi B. in domo B. & ſic de alijs. Eſt igitur aduertendum, quòd illa computatio a digito pollice debet fieri per longitudinem digitorum: fuit in illo anno 1550. litera dominicalis E. collocata in E. digiti annularis, habuimus in illo anno Septuageſimæ feſtum ſecunda die Februarij. Cineris verò 19. Februarij. Paſcha Reſurrectionis 6. Aprilis. Rogationum 12. Maij. Aſcenſionis 15. Maij. Pentecoſtes 25. Maij. Trinitatis 1. Iunij. & feſtum Corporis Chriſti 5. Iunij. Aduentũ 30. Nouembris. In anno 1562. habuimus literam dominicalem D. de aureo numero 5. de concurrente 25. & tria Authoris faciunt 28. collocatur illud D. ipſius anni in D. digiti medij, fuit Septuageſima in illo anno 25. Ianuarij. Cinis 11. Februarij. Paſcha Reſurrectionis 29. Martij. Rogationes 4. Maij. Aſcenſio 7. Maij. Pentecoſtes 17. Maij. Trinitas 24. Maij. Corpus Domini 28. Maij. Aduentus Domini 29. Nouembris. In anno 1573 litera dominicalis D. de aureo numero 16. Epatta 26. & tria Authoris aſcendunt ad 29. in illo anno collocatur litera dominicalis D. in digito indicante, in prima iunctura ſcilicet D. in radice ipſius indicis, à qua iunctura exiguntur omnia mobilia feſta, in illo anno, vnumquodq; feſtum cadit in ſua propria claue, & limitatione. Septuageſima 18. Ianuarij. Cinis 4. Februarij. Paſcha 22. Martij. Rogationes 27. Aprilis. Aſcenſio 30. Aprilis. Pentecoſtes 10. Maij. Trinitas 17. Maij Corpus Chriſti 21. Maij. Aduentus 29. Nouembris. In anno 1580. literæ dominicales erunt C. & B. biſſexti de aureo numero 4. concurrens, ſiue Epatta 14. & tria Authoris 17. collocabuntur C. & B. in digito medio in ſuis proprijs iuncturis, & caſellis ſcilicet C. & B. Septuageſima 31. Ianuarij. Cinis 17. Februarij. Paſcha Reſurrectionis 3. Aprilis. Rogationes 9. Maij. Aſcẽſio 12. Maij. Pẽtecoſtes 22. Maij. Trinitas 29 Maij. Corpus Xpi 2. Iunij. Aductus Domini 27. Nouemb. Sufficiãt circa feſta mobilia iſta exẽpla. Reſtat tãdẽ vt nõnulla, de Luna dicamus.

OCTAVVM CAPVT LVNAE.

CIrca nouæ Lunæ dies conſiderantur tantummodò tria. Primum, Notabile horum trium dicitur concurrens, ſiue epatta hoc in primis debet ſciri. Secundum verò eſt, vt ſciamus menſis dies. Tertiũ tandem, & vltimum eſt numerus menſium. Hæc tria ſunt neceſſaria, vt ſciamus quot ſint nouæ Lunæ dies. Quæ quidem omnia notabilia exemplis meliùs demonſtrantur, quotieſcumq; igitur ſcire volueris Lunæ vniuſcuiuſq; menſis ætatem. Hæc tria notabilia poteris faciliter memoriæ commendare. Primum eorum eſt concurrens cuiuſlibet anni. Secundum verò, ſcire numerum dierum illius menſis, in quo cupies ætatẽ Lu-

næ

næ reperire, dico dies iā lapſos tantūmodò. Tertiū, & vltimū notabile ē, vt ab vno quoq; menſe vnicū diē ſumas incipiēdo à menſe Martij (vt eſt multorū cōputiſtarū ſententia) & ſi illa tria ſcilicet cōcurrēs, & dies mēſis & numerus mēſiū nō ad 30 .aſcēdūt dies. Tunc tot dies erūt Lunæ, ſi ſint verbi gratia, 20. aut 15. ſiue 18. quot erūt dies ipſi, & ſi fuerint 30. ſimiliter, ſed tamē dū 30. tranſcendunt, tunc reijciēda ſunt 30. & id quod fuerit reſiduū, erit Lunæ ætas in vnoquoq; mēſe, veluti ſi sūt (verbi gratia) 40. tunc reijcimus 30. & reſiduum eſt 10. Lunæ. Sed eſt etiam notandū in vnoquoq; menſe, quòd ſi menſis habet 30. dies, Luna tenet tantummodò 29. & ſi menſis tenet 31. Luna tantum 30. Sed in menſe Februarij Luna ſemper ſuperat vnicum diem ſupra menſem Februarij. In anno biſſexti menſis Februarij tenet dies 29. Luna verò 30. Et quando non fuerit biſſextus, menſis habet dies 28. Luna autem 29. Quomodocumq; enim ſit in illo menſe, Luna habet vnicum diem ſupra menſem. Præterea præbeamus exempla de Luna, vt meliùs intelligamus, ſi velis ſcire octauo die menſis Maij in anno 1567. debes obſeruare tres conditiones iam ſupradictas, videlicet concurrentem & dies menſis, & dies menſium, à menſe Martij incipiendo. Dicimus tamen nos habere in octauo die de Luna 1. Ratio quòd in octauo ſit vnus dies Lunæ, eſt quia in illo anno (vt dictum eſt) ſunt de concurrente 20. de menſe verò 8. quòd quidem erat ſecundum notabile, faciunt ſimul 28. reſtat tandem tertium, & vltimum notabile ſcilicet 3. quod quidem eſt accipere vnicum diem ab vnoquoque menſe, à Martio incipiendo. Itaque in menſe Martij accipiemus 3. qui ſunt pro tribus menſibus, ſcilicet Martio, Aprili, & Maio. Sunt igitur tria iſtius notabili, & 20. & 8. duorum notabilium conſtituunt 31. Nunc reijcimus 30. & reſtat tandem vnum. Et ſic habebimus in 8. die menſis Maij 1. (vt iam dictum eſt) Si ſcire velis in ipſomet anno 20 Auguſti, quot dies habebimus Lunæ? In primis debes ſummere de concurrente 20. & 20. menſe Auguſti, conſtituunt 40. & 6. ſcilicet menſium hoc eſt, Martij, Aprilis, Maij, Iunij, Iulij, Auguſti cum illis 40. ſunt 46. reijcimus 30. reſiduum eſt 16. In anno 1580. erunt de concurrente 14. ſi quæris in illo anno 8. die menſis Martij habebimus de concurrente? Reſpondeo 14. & de menſe Martij 8. conſtituunt 22. & vnum ipſius menſis Martij, ſunt omnia ſimul 23. In ipſomet anno ſcilicet 1580. in decimo die Nouembris de Luna erunt quatuor, & ratio ipſius eſt, quia ſunt de concurrente in illo anno quatuordecim, & decem menſis Nouembris ſunt 24. & 9. ſcilicet menſiūm incipiendo à menſe Martij vſq; ad menſem Nouembris, qui quidem ſunt nouem, & 24. remanent quatuor cur reijcimus vigeſimū nonū in

illo

illo menſe & non 30? Ratio eſt, quòd ſi menſis habet 30. Luna tenet 29 Et ſi menſis habet 31. Luna 30. Præterea hic non horas, neque puncta aſſignabimus. Sed ulterius largiter dicendum eſt.

SEQVITVR CAPVT nonum de Biſſexto.

DEinde dicimus in capite nono de biſſexto, quòd quotieſcunque uelis ſcire, quando erit biſſextus, tūc notare debes, quòd quotieſcunque digitum auricularem attinges; his dictionibus cœlum, bonum, &c. erit biſſextus, dico quando literam dominicalem quæris ut in ſuo loco ſatis diximus, tunc erit biſſextus. Biſſextum quidem habemus quarto quoque anno, exempli gratia. In anno 1520. fuit biſſextus, & in anno 1540. & ſimiliter in anno 1560. & in anno 1564. & in anno 1568. & ſic de ſingulis ſubſequentibus annis. Præterea oportet, ut dicamus quomodo fiat biſſextus? Biſſextus igitur fit ex ſex horis quatuor annorum, hoc modo. Annus habet dies 365. & 6. horas, & ex illis ſex horis quatuor annorum computatis efficitur dies naturalis 24. horarum, et hoc pacto conſtitutus eſt biſſextus. Præterea uerò oportet animaduertas ēt in anno biſſexti, quòd litera ſpecialis, quæ ſeruit proprio diei Sancti Matthiæ Apoſtoli, Illa litera ferialis qualiſcunque fuerit, deſeruit alteri diei ſequenti, poſt ipſum feſtum Sancti Matthiæ Apoſtoli, Et illa litera deſeruit à Ianuario, uſque ad Sancti Matthiæ Apoſtoli feſtum. Exempli gratia. In anno 1568. erunt duæ literæ dominicales, ſcilicet D. & C. Prima litera ſcilicet D. deſeruit à principio anni uſque ad feſtum Sancti Matthiæ Apoſtoli, quod quidē feſtum occurrit ſemper 24. Februarij, ſed in anno biſſexti occurrit ipſius feſtū in die 25. Et illa litera, quæ ſeruit proprio diei Sancti Matthiæ aut ſit litera ferialis, aut dominicalis, illa quidem ſeruit proprio diei Sancti Matthiæ à Ianuario incipiendo, & deſeruit etiam diei ſequenti poſt feſtum ipſius Sancti, & poſteà deſeruit litera poſterior huius uerſiculi cœlum, bonum, &c. uerbi cauſa. In anno 1568. feſtum Sancti Matthiæ Apoſtoli occurrit in die mercurij, & ipſamet litera ferialis, quæ quidem eſt G. in iſta die ſeruit diei Apoſtoli, & diei ſequenti, ſcilicet diei Iouis, Deinde uerò famulatur litera poſterior, ſcilicet litera c. quæ quidem C. nominatur à dictione cœlum. Hoc igitur erat notandum in hoc capite 9. de biſſexto, ꝙ una litera qualiſcunq; ſit, in uno quolibet anno ampliatur duobus diebus, ut ſupra in exemplo manifeſtum eſt. Et hoc tantummodò contingit biſſextili in anno. Sufficiat tandem, quod dictum eſt in capite nono de biſſexto.

CAPVT

CAPVT DECIMVM AD INueniendum primum, & poſtremum anni diem, & vniuſcuiuſq; menſis, ſiue ebdomadæ, cùm his duodecim dictionibus.

HAbemus nos in anno duodecim menſes, quibus menſibus correſpondent totidem dictiones, quæ quidem dictiones, infrà apparent. Prima quidem correſpondet primo ſcilicet menſi. Secunda ſecundo. Tertia tertio. Quarta quarto, & ſic de ſingulis dictionibus, vnaquæq; datur ſuo menſi. Præterea eſt aduertendum, quòd quotieſcumq; ſcire velis diem primum anni, & menſis, & ebdomadæ, aut quẽlibet diem totius anni. In primis has dictiones memoriæ commendare licet, quibus faciliter valeas diem quem quæris reperire, vel ſit præteriti temporis, vel præſentis, aut etiam futuri. Dictiones verò 12. menſibus anni correſpondentes. Hæ ſunt, quæ ſequuntur.

A. dan. de. ge. bat. er. go. ci. fons. a. de. Fælix, & ſimiliter inuenies his dictionibus ſequentibus.

An. da. dra. gon. bu. en. gar. con. fi. a. do. fit.

Quemadmodum quidem ſuperiùs in dictionibus Cœlum bonum, accipe,&c. diximus quòd primum elementum cuiuſlibet dictionis erat litera dominicalis, ita & eodem modo, in his 12. dictionibus, debemus primam literam vniuſcuiuſq; dictionis accipere, vt in his 12. menſibus infraſcriptis apparet. Prima linea eſt dictionum, ſecunda verò menſiũ.

A. dan. de ge. bat. er. go. ci. fons. a. de felix.

Ian. Feb. Mar. Apr. Mai. Iun. Iul. Aug. Sept. Oct. Nou. Dec.

Hoc modo dictiones ſe habent, vna ſcilicet prima, quæ quidem eſt A. datur menſi Ianuario. Secunda quæ eſt dan. applicatur Februario. Tertia, quæ eſt de. tribuitur menſi Martij. Quarta quidem eſt ge. largitur menſi Aprilis. Quinta quæ eſt bat. præbe menſi Maij. Et ſic de ſingulis, vt ſupra videre licet. Præterea nunc deueniamus ad exempla, vt meliùs percipiamus hanc computationem harum dictionum. Accedamus nunc ad cognitionem primi diei anni 1550. & videamus quis nam dies fuit præſertim, ſi fuit dies dominica, aut lunæ, aut martis? In iſto anno habuimus literam dominicalem E. & eſt notandum, quòd litera dominicalis debet ſciri ad iſtam computationem inueniendam. Quia eſt cauſa, ſine qua non. Nota præterea quòd iſta computatio debet tantummodo fieri per digitum indicantem Siquidem eſt promptior ad hunc diſcurſum faciendum, ſit numeratio in primis, ſi quæris ſcire primum anni diem ſupradicti, oportet vt ſupputes in iunctura prima interiore

indicis,vbi aſſituatur litera D. deinde annumera menſem Ianuarij, poſteà da illi menſi illam dictionem A. quæ quidē litera A. dicitur initialis litera à qua debemus initium ſummere ad inueniendum primum anni diem, & illa dictio A. ponetur in ſua propria caſella A. ſcilicet in A. digiti indicis, vt in ſuo loco ſatis diximus, & poſtquam iam illa A. ponitur in ſua iunctura A. dic vnum ſcilicet vnicū diem, quia tunc non ampliùs velis ſcire, niſi primum anni diem, & deinde redeas retrorsùm ad iuncturam E. vbi erat illius anni dominicalis litera repoſita, & illa litera dominicalis E. (vt diximus ſupra) milleſimo, quingenteſimo quinquageſimo. deſeruit in illo anno, & ab illa litera E. dices gradatim de iunctura, in iuncturam diem dominicā, & diē lunæ, & diē martis, & diem mercurij, quando iam fueris in iunctura A. vbi numerata fuit prima dies non ampliùs tranſeas, quia non eſt migrandum vlteriùs poſt A. Ratio eſt, quia nunc non volumus niſi primum tantummodò diem ſcire illius anni, fuit itaq; primus dies illius anni, dies Mercurij. Et eſt notandum, quòd primus dies anni, eſt ſimilis poſtremo diei, & hoc intelligi debet qnando biſſextus non occurrit. Quia qnando biſſextus eſt, Primus dies anni non ſimilis videtur poſteriori diei poſtremo Sed ſi primus dies, verbi gratia, eſt dies dominica, vltima erit dies lunæ. Et ratio huius manifeſta apparet, quia in illo anno biſſexti Duæ ſunt literæ dominicales deſeruientes, & hac ratione, non aſſimilantur: Sed quando non eſt biſſextus, æqualis eſt primus poſteriori diei. Et iſta apparet infallibilis, & generalis regula. Quia idem dies eſt primus, & vltimus, quādo biſſextus nō eſt, primus ſimilis eſt alteri. Sed tamen quando venit biſſextus, non illa regula oſſeruatur, quia vnus eſt primus, & alius vltimus. Reperiamus deinde poſtremum ipſius anni diem exercitationis cauſa. Nunc enim notauimus, quòd computandæ ſunt duodecim iuncturæ in manu ſiniſtra pro duodecim menſibus, & iuncturæ illæ computabantur à prima iunctura indicis, per partem interiorem eiuſdem manus tranſuerſaliter, quemadmodum quando litera dominicalis reperiebatur ab indice, vſque ad auricularem. Sed animaduertendum eſt quòd quando iam computentur duodecim iuncturæ, à partibus iam dictis, debemus quidem vnicuique iuncturæ vnicam dictionem ſignare, exempli cauſa, Ianuario da dictionem primam A. Februario dictionem præbe dan. menſi Martij verò dictionem de. menſi Aprilis dictionem ge. menſi maij dictionem bat. & ſimiliter de ſingulis dictionibus. Aduertas tamen quòd cum his dictionibus non oportet, quando digitum auricularem attingas, vt duo puncta demonſtres, vt cum verſiculo cœlum, bonum &c. vt faciebas, quando literam dominicalem reperiebas: ſed vnicam

tantummodo

tantummodò dictionem auriculari tribuas, vt in alijs digitis, deinde recurramus ad noſtrum exemplum ſupra citatum, quod quidem fuit adinueniendum poſtremum diem anni, debemus (vt diximus) numerare duodecim iuncturas tranſuerſaliter ab indice incipiendo, vſq; ad digitum auricularem tranſuerſaliter (vt ſupra diximus) Poſteà poſtquam iam ſint numerati duodecim menſes, oportet vt præbeas vnicam dictionem, vnicuique menſi, vt in his duabus lineis manifeſtum legenti apparet. Prima quidē riga, ſiue linea eſt mēſiū, ſecūda verò dictionū.

Ian. Feb. Mart. Apri. Mai. Iun. Iul. Aug. Sept. Oct. Nou. Dec.
A. dan. de. ge. bat. er. go. ci. fons. a. de. felix.

December eſt vltimus menſis, cui correſpondet illa poſterior dictio felix, quæ debet reponi in ſua propria caſella, ſiue iunctura F. quæ quidē litera F. repoſita eſt in 3. iunctura ſuperioris digiti auricularis interiùs in manu ſiniſtra, Præterea poſtquam iam ſit repoſita litera F. in ſuo proprio loco debemus numerare dies 30. & vnum, quos habet menſis decembris, & illa tota computatio 31. dierum fieri debet tantummodò in digito indicante incipiendo à litera F. hoc eſt tertia iunctura indicis ſupra radicem ipſius indicis vſq; deuenias ad iuncturam C. & quando iam ſit in litera C. regredi conuenit iterum ad literam D. vbi collocata eſt litera D. finito iam numero 31. dierum menſis Decembris in iunctura A. quæ quidem eſt infra vngues per partem exteriorem ſiniſtræ manus. Tunc enim, quando iam eſt numerus finitus quem ſcire cupimus, retrocedendum eſt ad iuncturam ſcilicet dominicalis literæ illius anni, quæ quidem apparuit litera E. & dicemus ſurſū cōputando diē dominicā in litera E. & in litera F. dicemus diem lunæ. Deinde in litera G. quæ eſt in extremitate digitorum diem martis proferimus. Poſteà infra vngues in domo A. dicitur dies mercurij, & non eſt vltrà migrandum, quia ibi fuit finitus dierum numerus. Tandem in illo anno 1550. poſtremū diem anni dicimus eſſe diem mercurium. Præterea deueniamus ad alterū exēplū ad maiorē intelligentiā huius capituli In 8. die mēſis Auguſti illius anni, quæ nā dies fuit? Sunt enim octo menſes à Ianuario vſq; ad menſem Auguſti, computa deinde dictionibus illis, vſq; deuenias ad octauam iuncturam menſis Auguſti, & aſſignabitur tibi dictio C. in illo octauo menſe Auguſti, & illa dictio C. collocabatur in ſuo loco C. videlicet in C. digiti indicis, & ab illa litera C. connumerare debes ab vno vſq; ad octauum diem, quem reperiebas. iam diximus ſupra, quòd tota illa computatio fieri debet tantummodo in digito demonſtratiuo, poſteà verò retrocede ad literam dominicalem illius anni, quæ quidem apparuit eſſe litera dominicalis E. & ab illa litera E. dicetur dies dominica, & dies lunæ., & ſic gradatim quouſq; deuenies

ad numerum finitum, videlicet ad diem octauum quiquidem termina tur in litera C. quæ litera C. in illo anno 1550. deſeruit diei veneris fuit igitur in illo anno dies veneris in octaua die menſis Auguſti. In ipſomet anno vigeſimaquarta die Octobris apparuit eſſe diem veneris. In ipſomet anno, prima dies Iulij nobis manifeſtauit eſſe diem martis. In decima die Aprilis comperies, quòd fuit dies Iouis. Præterea aggrediamur ad exempla alterius anni, videlicet ad annum 1568. in decimaquinta die Martij, quænam dies apparuit? Inuenies quidem eſſe diem lunæ, finiebatur quintadecima dies in litera D. quæ quidem in illo anno deſeruit à principio Ianuarij, vſq; ad S. Mathiæ Apoſtoli feſtum. Poſteà verò deſeruit litera C. & nunc in exemplo noſtro litera D. deſeruit dieij lunæ. Tandem fuit decimaquinta dies Martij lunæ, & in ipſomet anno prima dies Maij reperietur, quòd eſt dies Sabbatina. In ipſomet anno vigeſima dies Septembris ſimiliter erit dies lunæ, & ſimiliter valeas per uenire ad vnamquamq; diem vniuſcuiuſq; menſis, aut ebdomadæ cuiuſ libet anni. Dico iam, quòd litera dominicalis in primis ſciri debet, in vnoquolibet anno. Quia eſt cauſa propinqua, vt diem quem quærimus reperiamus quia in primis quando tendimus in anno ſcire, verbi gratia, diem, in quo venit feſtum virginis Mariæ menſis Auguſti. In primis tenetur enumerare menſes per digitorum tranſuerſaliter iuncturas à radice pollicis initium ſummendo, vſq; ad auricularem digitum, & & à menſe Ian. vſq; ad menſem Augu. Et ſimiliter in reliquis omnibus menſibus debet fieri. Poſteà verò dictionibus illis computamus vſq; ad quem quærimus menſem, iam aſſignatum per noſtræ memoriæ operationem. Deinde conditione illa, qua reperiebatur litera initialis, quæ in ſuo proprio loco debet reponi, & ab illa iunctura ſiue nodo incipies ſupputare vſq; ad diem quem quærimus. Vlterius verò retrocedendum eſt ad literam dominicalem, & dicere licet dominica dies &c. Hactenus deueniamus ad diem numeratum. Sed animaduertendum eſt, quòd litera dominicalis ad iſtam computationem, non refert an ſit collocata in digito indicante, aut medio, aut medico, ſiue annulari ſiue in digito auriculari, quomòdocunq; ſit ſemper reponetur litera dominicalis, qualiſcunq; fuerit in digito demonſtratiuo. Hoc ſit ſatis de capite iſto.

CAPVT VNDECIMVM DE quatuor anni Temporibus, ſcilicet de Teporibus ieiunandi, & de Nuptijs ſiue ſponſalibus.

SOlent quatèr in anno à fidelibus tres dies ebdomadæ obſeruari, & in illis ſeruari: & ideò iſti tres dies ſcilicet dies mercurij, veneris, & ſabbat

ſabbati dicuntur quatuor Tempora. Prima, ſunt die mercurij, veneris, & ſabbati ſecundæ ebdomadæ quadrageſimæ. Secunda verò in ebdoma da Pentecoſtes. Tertia poſt feſtum S.Crucis menſis Septembris. Vltima poſt feſtum S.Luciæ. Nota quòd ſi dicta feſta S.Crucis, & S.Luciæ cele brantur in die mercurij, tunc quatuor Tempora non erunt in illa ebdò mada: ſed in alia proxima ſequenti. Hoc ſufficiat de quatuor anni Tem poribus. Dicamus deinde de Nuptijs ſiue Sponſalibus. Nuptiæ in Eccle ſia prohibētur ſolemniter celebrari ab Aduētu Domini noſtri Ieſu Chri ſti, vſq; ad diem Epiphaniæ incluſiuè, & à feria quarta Cinerum, vſq; ad octauam Paſchatis, ſimiliter incluſiuè. Reliquis verò anni Tempori bus permittuntur ab Eccleſia ſolemnes Nuptiæ. Hoc erat notandum de Nuptijs, ſiue Sponſalibus.

CAPVT DVODECIMVM de Nonis, Idibus, & Kalendis.

